



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Eiusdem conuersio & pœnitentiam imitandam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

neque masculorum concubitores: nisi pœnitentiam agant, ad quam eos diuina bonitas magnis vocibus vocat.

Matres, vt sui desiderium excitent, sæpe à se liberos repellunt, seque abscondunt, neque sinunt videri. Ad harum morem, Deus sæpe hominem repellit, manuque subducta, sinit sentire, quid sit à cœlo esse derelictum. Qua de caussa beneuolè orans Dauid ait: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Multi enim tum demum in se verè descendunt, postquam intelligunt, quantum à Deo Dei que vijs descenderint, quantumque & quàm meritò ab illo contemnantur. Itaque & mulier illa, in ipsis templi foribus, toties repulsam passa, & vi complimentum turbarum in templum intrare contententium fatigata, vbi de templi ingressu desperauit, tristis ad quendam atrij angulum recessit, cogitareque secum cœpit, cur alijs admissis ipsa adeò prodigiosè, ab intuendo viuifico S. Crucis ligno, arceretur? Neque longa opus erat indagatione caussa, illico sese illi offerebant plenæ ingentium scelerum cateruæ. *His nimirum, aiebat, & templum, & calum mihi clauditur!* In fletus itaque vberimos diffusa, pectus cœpit tundere, suspiria ex imo pectore petere, & eiulans se ipsam detestari. Quod dum faceret, fortè factam dædalè Dei Genitricis statuam, præ templi foribus in sublimi stantem, vidit. Vidit, & in hæc verba erupit. *O Dei Mater, ô Virgo immaculata, scio quàm indigna sim te compellare, quàm digna à te reijci, ob tot abominanda facinora; quia tamen audiui, Deum ob hoc hominem factum, quem genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, rogo te, omni alia ope destitutam adiuna, & aditum mihi ad Ecclesiam impetra, vt conspecta crucis arbore, in qua Filius tuus pro me sanguinem fudit, seculo, & omnibus, quæ in eo sunt, meaq; conscelerata consuetudini renunciẽ, eoq; egrediar, quò me ipse iusserit.* Dixit, & fidei calore incensa ad Misericordiæ Matrem se conuertit, diuinæque clementiæ spe plenissima sacræ ædis aditum denuò tentauit. Nec iam diu fuit laborandum. Remora omni sublata, liberè, & sine impedimento intrauit. Ita & templi, & calianuam angustam experta, postquam admissa est, adhuc ingenti formidine trepidans, in terram, ante depictam B. Virginis Dei Matris imaginem se se prostrauit, osculisque pauimento mille impressis S. Crucis ligno debitè adorato, Deiparam sic est allocuta, *Tu, ô benignissima Domina, sem-*

IX.

ÆGYPTIACAE
MARIAE CON-
VERSIO ET
PœNITENTIA

Psal. 82, 17.

P 2

per

per quidem misericordia tua fontes aperis, sed nunc maximè in me declarasti, quàm magnum sis refugium peccatorum; per te enim omnipotens Deus peccatores ad pœnitentiam recipit. Non possum diuina bonitatis tuæ misericordia Oceanum eloqui. Vidi gloriam, quam peccatores meritò non videmus, gloriam omnipotentis Dei maximos etiam peccatores recipientis. Sed quid moror? tempus est recipiendi, & eundi, quò tu jubes, ò Mater, ò salutis mee dux, Maria. Hæc orans vocem nescio vnde vicissim audiuit, quæ eam iussit ultra Iordanem transire. Ex templo surrexit, & non sine multo fletu Deiparæ imaginem, aspiciens exclamauit: *Domina, Domina, Regina totius orbis, noli me derelinquere.* Hoc vltimum Vale Virgini dixit, & è templo recessit. Exeunti ex atrio quidam ignoti vultus tres nummos dedit, quibus illa totidem panes coëmit, & sub solem adhuc occasum ad templum S. Io. Baptistæ Iordani fluuio adsitum venit, in quo multis mistas lachrymis preces obtulit, & SS. Ecclesiæ Sacramentis munita, in alteram fluminis partem delata, Matrem Dei denuo ducem itineris expetiit, atque illa ducente in eam, de qua diximus, solitudinem peruenit. In qua quid egerit, ipsa Zosimæ enucleata narratione exposuit.

1. In ea ab omni hominum confortio seiuncta, nullaque vnquam humanâ faciè aspectâ, constantissimè permansit. Nam secundò non permansit vno duntaxat, aut octo diebus, vt illi solent, qui colligendi animi sui causa secedunt; sed ad eum vsque diem, scilicet quadraginta septem integris annis.
3. Quia, eo die, quo SS. Eucharistiam sumserat, dimidium panem comedit, duos tantùm & semis habuit reseruatos, eosque lapidis instar solidissimè induratos, ijs, ac herbulis tempus omne reliquum vitamque traduxit.
4. Quoniam autem à iuuentute delicijs ciborum, ac vini pretiosioris potui, florisque nectaris, vsque ad ebrietatem dedita, & femina Ægyptia Græco more bibere consueta erat; à vino in Venerem inflammata, probè experta est, cur dixerit Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;* aut quamobrem, apud Romanos, non leuiùs in feminâ temulentia, aut vini vsus, quàm adulterium, sit punitus. Neque à vinolentia in vagas libidines duntaxat est prolapsa, sed etiam (vt multi exercitati alioqui Religiosi gastrimargia vitio tentantur) in ipsâ solitudine, ab Apicijs, & Trimalcionis penuriosissima, per totos septendecim annos, grauissimas secum ipsa identidem

Ephes. 5. 18.

Gell. lib. 10.

cap. 23.

Valer. Max.

l. 2. c. 1.

Plin. lib. 14.

cap. 13.

dem pugnas coacta est depugnare. Desiderijs belluinis æstuabat. Tiraquell. de
Iam aues, iam pisces, quibus Ægyptus abundat, iam alia tragema-
ta & ipsæ Sybariticæ mensæ ante oculos illi versabantur; jam vini legib. con-
sibi Græci, jam Hispaniensis videbatur dulcedine permulceri; cuius nub. l. 9. n. 541
hauriendi cupiditate pœnè rumpebatur. Plato generosum conspi-
catus adolescentem, patrimonio consumto, ad fores pandochij pa-
nes edentem, & aquam bibentem, vt Maximus refert, in hunc eum
modum est allocutus: *Si sic moderatè prandisses, nunquam sic canares.*
Ad eundem modum hæc mulier, nunquam tanta se fame tantaque
siti cruciasset, neque verò tam vehementes passa esset tentationes,
nisi priùs cibo potuque excessisset. Inediâ igitur crapulam, temu-
lentiam siti castigauit. 5. Accessit, quòd in æstiuo sæpè solo, &
aridis locis, nec aqua quidem suppetebat. Vnde, exustis faucibus,
siti que tristissimâ pœnè extabescebat. 6. Quodque magis mirum,
inter has corporis tam seueras afflictiones, ingenti desiderio vexa-
batur modulandi turpes cantilenas, quibus antehac assuenerat.
Quam tamen tentationem pellebat, cum in memoriam reduceret,
se stare ante B. V. imaginem, coram qua in scelerum suorum cog-
nitionem venit, ac summo mentis ardore sibi ipsa decreuit seriam vi-
tæ pristinæ emendationem: simulque eandem Dei parentem rogi-
tauit, vt fœdas illas afflictæ cogitationes procul effugaret. Quibus
precibus modisq; & petulantes carnis vicit insultus, & mirificam
quandam sensit menti infundi lucem. 7. Quanquam, non posse à
se enarrari dixit, quantis ignibus succensa identidem exæstuarit,
cogique se propemodum putauerit in assuetas olim relabi volupta-
tes. Semper tamen vicit, quia semper humi prostrata Virginum
Virginem in auxiliû vocauit; lachrymis simul furorem extinguens
corporis spiritui rebellantis. Et hoc quidem per 17. annos, vt
dixi. Quanquam autem postea vehemens ille furor desæuijt, non
tamen fuit vitium hoc penitus debellatum. Bellum vsque ad vi-
tæ finem durauit de reliquijs inueteratæ consuetudinis gliscens.
Tantum sibi laboris parit, vt extricetur, qui in hoc se lutum im-
mergit. 8. Interrogata autem à Zosima, de cibo, deque vestien-
di genere, respondit, duos illos sibi panes cum dimidio, per 17. an-
nos suffecisse, postea herbis duntaxat se vsam: has sibi fuisse Saliarès
dapes. 9. Veste consumta, affirmauit se, incredibile, per hyemes,

coeli frigus, intolerandos, per æstatem, solis ardores passam, ac sæpe propemodum assatam ac concrematam fuisse, certè exanimem nonnunquam diu, ac sine sensu iacuisse. Vnde & Illyrica pice nigrior est effecta, cuti contracta, & sanguine ad extima corporis vocato. 10. Ceterùm mirè se roborari sensit, quoties recordabatur, quantis vitæ, quantis animæ periculis erepta esset; & quòd *non in solo pane viveret homo*. Ita enim & scripturas exactè recitabat, quæ Zosimæ falsa erat, litteras se nunquam didicisse. Longè verò etiam alia prophetico spiritu perspicuè cognouerat; nam postquam orationes eius expetijt, rogauit insuper, ne sequente anno, iuxta Cœnobij sui canonem, tempore quadragesimæ Iordanem transiret, sed pridie Dominicæ cœnæ, sub vesperam, ad Iordanem SS. Eucharistiam afferret, se enim ad eum vsque diem, ex quo in S. Ioannis Baptistæ templo corpus & sanguinem Christi sumpisset, sacro illo ferculo caruisse; & cupere eum diem colere, quo Christus discipulos corporis sui sanguinisque participes fecisset. Iussit præterea Zosimam arcana quædam Abbati suo significare, quæ in illius monasterio lima atque emendatione indigerent.

X.

MARIAE
ÆGYPTIACAE
POENITENTI-
AM IMITAN-
DAM ESSE.

Matth. 21. 31.

Matth. 11. 27.
Luc. 10.

Matth. 3.

Quibus omnibus ordine auditis, Zosimas pronus illum terræ locum osculatus est, in quo pedes illius mulieris tam sanctæ vestigia reliquerunt; reuersusq; ad monasterium suum Deo laudes gratiasq; dixit, quòd sibi ostendisset, quantum adhuc à peccatricis illius, ne dum ab alterius innocentis perfectione in eum diem abfuisse. Iamque humilior factus, sibi suiq; similibus dictum agnouit in remedium superbiæ: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*. Quòd si tantus tamque asperæ vitæ vir à Maria Ægyptiaca, (ista enim fuit hæc mulier, cuius hodie Natalis agitur) didicit opera poenitentiae, & meliorem à cibo potuque abstinendi, corpusque exercendi, & peccata deffendi rationem; quid nos discere oportet? *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissus erit, in die iudicij, quam vobis*. Consumitis tempus & annos, in omni vanitate, superbia, luxu, cupiditate, odio, & intemperantia, & cœlum speratis? Cur? quia ista omnia confitemini? non satis est. *Si vultis Deum placare, facite fructum dignum poenitentiae*